



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Anthvsa Virg. 22. Aug.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

Obiit dum sociis à peste infectis oculos pius claudit ipsissimus ocellus cæli, ex quo utinam ò MARIANI Argum faceretis! *Ex Chron. eiusd. Ord.*

S. ANTHVSA VIRG. 22. *Aug.*

ANTHVSAM patria Seleucia, in hâc Anobiles parentes, apud hos raræ opes, & cum his rarior forma commendabat. Sed illa additura aliquid formositatis etiam animo, Christiani fontis balneas suspirabat, & lavari à Tharsensi Antistite Athanasio exoptabat. Quare veluti ad nutricem invisura currum comite uno alterove servulo conscendit. Interea monitoribus & comitibus Angelis usus Athanasius obviam venit virgini, & ad primum congressum fontem precibus suis dedit, tum deinde ANTHVSÆ corpus undis, animum gaudiis perfudit. Et ut sciret, quem hic colorem in tam sanctis thermis induisset, adfuere gemini calites, qui veste & ipsâ candidâ candidissimam animulam donarunt. Hâc illa superba facile auream, quam gerebat, contempsit, exitamque Athanasio, ille miseris dedit. Talis denique nutricem adiit, quæ cum pretium vestis non intelligeret imprudens, culpavit scilicet virginis in tantâ nobilitate modestiam. At hæc clam matre ad Episcopum revertit, & quod sciret facile innocentia

G g 2 vestem

vestem sordes trahere, impetravit alteram & fetis horridam, quâ tegeret priorem & indemnem servaret. Quin, ut ne domestici fures hanc raperent amici, in silvas exportavit. Sed & nutrices pro unâ illâ tot illuc invenit, quot feras, quæ triginta & duos annos aluere hospitem. Immortua est rupi (lectus hic illi erat) adversus plurimos insultus dæmonis mali ipsa etiam rupes. *Ex Menais.*

SS. CLAUDIUS, ASTERIUS, NEON
MM. 23. *Augusti.*

Potest Ægæa hodie invidiam Romæ facere & tergeminos fratres & ipsa suos jactare. Horatiis vel ideò fortiores, quòd vivus è pugnâ nullus abierit, omnes ceciderint victores. Illis nomina sunt CLAUDIUS, ASTERIUS & NEON, dissimilia vocabula, cæterum virtus sub pectore eadem planè & constantia. Primò singuli, tum totâ fraternâ acie pugnarunt; nec in tres solum hostes, sed in totas carnificum cohortes. Videlicet ad servilem metum, virgas, cederent Christi milites? Risum hæc, non gemitum expressere. Iam unci ferrei & ungulæ bubulique nervi in lacerato corpore integrum animum prodiderunt. Prunis & cum prunis tyranno insultarunt etiam. Tædas corpori admotas fortior ignis extinxit DEI amor. *Ex*